SUPER CRUCE ALTARIS

MONITUM

S. R. C. auctoritatem nobis tribuit memoriam parochorum aliorumque Ecclesiarum rectorum excitandi, ad cogitationem Crucis altaris. Aliquod enim ea super re ineptum facinus irrepere coepit in Dei templis, neque Urbis exceptis, cum sacrificium Crucis iteratur, ut videlicet vix paullulum Crucis (eiusmodi nobis exprimendi rationem lectores condonent) super altari habeant tempore Missae, quod legi omnino opponitur, et tolerari non potest.

Sane: Rubrica Missalis exigit (*Tit. XX*), ut **super altare collocetur Crux in medio**: profecto ut a sacrificante circumstantique populo videatur.

Quam Caeremoniale Episcoporum declarans, iubet, ut **Crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine sanctissimi Crucifixi** (*Lib. I, Cap. XII, num 11*).

Maiori quoque perspicuitate sacrorum Rituum Tribunal rem exponens edicit: (*16 Iun. 1663, n. 1270 ad 1*) **Parva Crux**, esto **cum imagine Crucifixi, non est sufficiens, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum.** Neque id satis habuit, sed graviori quoque ratione alias respondit, statuens: **Reprobandum abusum** collocandi parvam crucem vix visibilem, vel supra tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco Crucis collocandae

inter candelabra, ut Rubrica praescribit; et ubi invaluit, **Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis.**

Quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia tempore sacrificii apte apponatur inferius, **sed visibilis tam Celebranti quam populo** *(17 Sept. 1822, n. 2621 ad 7)*. Atque animadvertas oportet, Decretum supra relatum a Pio Pp. VII esse approbatum, qui illud expediri et publici iuris fieri mandavit, **locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant.**

S. R. Cong.ni inhaerens Summus quoque Pontifex Benedictus XIV, in Constitutione **Accepimus** d. 16 Iul. 1746, quam ius constituere latet neminem, ita universis Ecclesiae Episcopis affatur: « Vobis **praecipimus, ut nullo pacto patiamini** (neque in Ecclesiis Regularium) rem divinam fieri... nisi **Crucifixus** inter candelabra **ita promineat, ut Sacerdos celebrans ac populus sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint**: quod evenire nequit si exigua solum Crux minori tabulae defixa fidelibus exhibeatur ».

Negotium ergo istud non exigui, sed gravis momenti est, ut eo pervenerint nonnulli Episcopi, quod determinare mensuram praefatae Crucis necessarium iudicaverint (*V. Ephem. an. 1891, pag. 779*). Hinc iure merito cl. Foppianus concludit: « Cum itaque res sit tanti momenti et **sub gravi praecepto posita**, Crux cum imagine Crucifixi in medio altaris collocanda est **omnino palam, visibilis ac talis magnitudinis, ut subito in conspectu veniat Celebrantis et populi** (*Enchirid. pro Sacerdot. pars I, Tit. XX, n. 2*) ».

Equidem mos invaluit, ut minores pictae tabulae super alteri collocentur, pro iisque praeceptum Crucis praealtae in medio candelabrorum parvipendatur ; at devotio non debet se legis observantiae substituere.

Illa vere devotio est, quae ad legum observantiam ducit; quae vero legem impedit, falsa est et reprobanda.

Itaque nomine et auctoritate S. R. Cong.nis ad huius observantiam legis enixe adhortamur omnes quorum interest, illorumque conscientiam gravari, si id neglexerint, liceat nobis in eorumdem mentem redigere.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VI.

DE MISSA EXEQUIALI PRIVATA PRO DEFUNCTO PAUPERE.

Accidit autem, ut die eodem, quo cadaver Caroli Sacerdotis deferebatur ad sepulcrum, alter ex Augustini parochianis supremum diem ageret, qui magna egestate premebatur. Hinc Augustinus Parochus domum defuncti petiit, quaesivitque a parentibus, num saltem pro defuncto Missam lectam celebrari vellent, ritu enim Ecclesiae, duplici nempe II classis, cum feriatione in loco celebrandi, eam putabat non impediri. Qui nihilominus responderunt, se optare

quidem Missam, sed nec pro cantata nec pro lecta solvere expensas valere. Anceps aliquantulum haesit Augustinus, stante Ritualis lege Missam pro quocumque defuncto praescribente; sed postea quodam Decreto fretus, quod se legisse meminerat, a S. C. Concilii nuper emanatum, sequenti modo defuncto, Rituali legi, et Celebranti providit. Missam, saltem lectam, pro defuncto, censuit, non esse omittendam praesente cadavere, eamque devote reapse celebravit, uno tantum prope cadaver ardente cereo. Pro defuncto autem haud applicavit Missam, sed pro alio, a quo pridie eleemosynam acceperat, sic parentes quasi deceptos faciens. Absoluta Missa, iudicavit Absolutionem se posse omittere ob paupertatem defuncti, et de facto omisit. Rediens nihilominus in sacrarium, duobus clericis, qui inservierant, respondentibus, recitat mediocri voce psalmum *De profundis*; uti pro ministris sacris ab Absolutione in sacrarium redeuntibus Rituale praescribit. *Quaeritur:*

1. *Quid dicendum veniat de obligatione Parochorum circa Missam, imo et officium defunctorum pro parochianis qui decedunt, sive dent eleemosynam, sive non?*

2. *An in praesenti, et quibus in casibus, permittatur Missa lecta pro defuncto, impari solvendis expensis pro cantata? Et quid de Missa in casu privata sine applicatione pro defuncto?*

3. *Quid iudicandum de omissione Absolutionis, de recitatione* De profundis *in reditu ad sacrarium, et de unico cereo, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Sebastiani Gaetano e Pontif. Sem. Romano alumni, habita in Ecclesia Cong.nis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 7 Martii 1900; acta Epitome per R.mum Dom. Orestem Aloisium Can. Borgia.

I. Inquiritur primo de obligatione Parochorum dicendi Missam et officium defunctorum pro singulis fidelibus illorum curae commissis, qui ex hac vita in alteram migrant, sive eleemosynam, sive non, erogent.

Ante omnia liceat affirmativam, sed generalem, exhibere petitioni propositae responsionem; idque ex lege Ritualis praescribentis « ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur *(Tit. VI, de Exeq. Cap, I, n, 3)* ».

Profecto, si consulatur antiquitas liturgica palam fiet, vix notitia habita de alicuius obitu, imo etiam dum adhuc agebat animam, Sacrificium altaris offerri consuevisse. Hoc namque testatur Offertorium Missalis Romani in Missa pro defunctis, in quo vestigia habentur de temporum adiunctis, in quibus Missa dicebatur, uti plures sustinent. Nam verba *libera eas de ore leonis ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, fac eas Domine, de morte transire ad vitam* optime de fidelibus in extremo agone luctantium intelligi queunt.

Quod vero defunctos attinet, pro iis statim ab antiquiori aevo oblatum fuisse sacrificium ineluctabilia documenta dubitare non sinunt. Eusebius de vita Constantini loquens notat « Imperatorem ipsum cum Liturgia sepultum fuisse *(Lib. IV, Cap. II)*. » Augustinus matris suae referens mortem, scribit *(Confess. Lib. 9, Cap. 12)*: « Cum ecce corpus elatum est,

imus et redimus sine lacrimis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro eo **sacrificium pretii nostri**, iam iuxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec eis precibus ego flevi ». Quod etiam ex parentalibus S. Ambrosii abunde ostenditur, quae Paulinus describit, uti ex ipsius divi Augustini vita, in qua Possidius illius scriptor tradit eumdem in Africa ritum fuisse servatum. Nimis prolixi essemus si absque numero hic forent referendi testes, uti et antiquorum auctoritates, ex quibus Sacrificium pro defuncti anima oblatum fuisse constat, dum migrat e praesenti saeculo, oblata etiam eleemosyna, vel absque illa, uti in pauperibus eveniebat. Ita inter epistolas S. Bonifacii Episc. Martyris extat altera (106), ad Optatum Abbatem, in qua legitur: «... deprecamur ut pro... migrantibus de hoc saeculo... missarum solemnia celebrentur ». Similiter Concilium Sabbeum definit, ut Missae celebrentur quando quilibet eorum (Episcoporum et Abbatum) *de hoc saeculo migraverit* (Tom. 6, Col. 1702). In Synodo apud Saponarias saeculo nono coacta Episcopi statuerunt « ut pro eo qui decesserit, septenae Missae persolventur ». Hinc S. Carolus in Synodo Mediolanensi antiquam secutus praxim, nec non aliae Synodi, de Missa agenda loquuntur pro decedentibus, et quidem gratis, si pauperes ii fuerint.

Quae tamen ita intelligenda veniunt, ut commendationem potiusquam praeceptum importent. Namque Benedictus XIV *(Instit. 36, Sect. 2 n. 224)* verba faciens de Sacrificio Missae pro defuncto, antiquitatis citra dubium imitatus exemplum, ab hoc imponendo onere abstinet. Rituale Romanum relatis superius verbis circa Missam praesente corpore pro defuncto dicendam, addit sequentia: « quantum fieri poterit », quae satis perspicue positivum praeceptum excludunt. Aliunde Parochi saepe Missam pro populo sub gravi applicare tenentur, ut alii graviori impo-

sitioni, ex generali saltem lege, subiacere non debeant. Sacrorum autem Rituum Congregatio sub die 2 Sept. 1871 exquisita: Utrum Missa de requie in die obitus, praesente corpore, sit praeceptiva, etsi nulla eleemosyna ad hanc Missam celebrandam persolvatur, ad Rituale Rom. appellavit, respondens: « Ubi nulla viget specialis obligatio, attendendum est monitum, quod habetur in Rituali Romano ». Quod tamen Decretum e novissima Collectione exulavit, cum ad Ritualis codicem remittat. Ipsi quoque S. Concilii Congregationi sequens propositum fuit Dubium: « An Sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebrans, non accepto stipendio, debeat pro ipso defuncto vel potius pro aliis petentibus et eleemosynam offerentibus Sacrificium applicare? »: Cui respondere nihilominus censuit: « Negative ad I. Affirmative ad II. ».

Ex quibus hucusque dictis sequitur, Missae pro defuncto applicationem non esse praeceptivam pro Parocho: adeo ut, sicut accepta eleemosyna ad eam applicandam tenetur, ita ad eam sine illa applicandum minime ex generali lege teneatur. Quod nihilominus probe intelligas, ut diximus, de generali lege: ut apprime teneri ad illam possint ii Parochi, qui ex peculiari lege, puta synodali, vel ex consuetudine adiguntur.

Fatendum vero est, nil maiori dignum esse laude, quam praefatam pro defuncto Missam, etsi nulla accepta a Parocho stipe: quippe qui caritatem illam demonstraret, qua pastores animarum debent esse praediti, erga oves sibi concreditas.

Quod vero attinet defunctorum officium, et ipsum, lato saltem sensu, a primaeva antiquitate in defunctorum obitu dictum fuisse constat, quatenus videlicet consuetudo semper viguerit psalmos in eorum funere decantandi. Antiqui patres Ecclesiae id referunt, quinimo ad ipsam Synagogam eiusmodi consuetudinem transferunt.

Revera divus Ambrosius animadvertit, in obitu Iacob, Ioseph fratresque suos una cum aliis Aegyptiis, in illius transferendo cadavere ad Hebron, psalmos Davidicos cecinisse. Sed quod Christi spectat Ecclesiam testatur Hieronymus in Epitaphio Fabiolae (*Epist. 30*) dicens: « Nec dum spiritum exhalaverat. . . . . et iam fama volans tanti praenuntia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat, sonabant psalmi. « Testatur et Augustinus (*Lib. IX, Conf. Cap. 12*), ubi de S. Monica, dicens: « Ubi illa efflavit extremum spiritum, psalterium arripuit Evodius, et cantare coepit psalmum, cui respondebamus: Misericordiam Domini in aeternum cantabo ». Item Gregorius Turonensis (*Lib. 7, Hist. Franc.*) loquens de obitu S. Salvii Albigentium Episcopi, scribit: « Corpus defuncti extrahunt, aqua diluunt, vestimentis induunt et feretro superponunt; atque in psallentio fletuque labentem exigunt noctem ».

Idem referunt testimonium Gregorius Nissenus, aliique quos brevitatis ergo praeterimus.

Hinc Benedictus XIII officium defunctorum praescribit pro die obitus defuncti, et etiam sine eleemosyna pro pauperibus. Rituale Romanum haec habet: « Deposito feretro in medio Ecclesiae, etc., dicatur officium defunctorum, cum tribus Nocturnis (*Tit. VI, Cap. 3, n. 4*) ». Alibi vero (*Loc. cit. Cap. 4, n. 16*) ait: *Si ob instantem necessitatem* dici integrum nequeat, dicendum *saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi eiusmodi vigeat consuetudo.* Ex his omnibus videretur concludendum, officium praedictum in praecepto esse. At animadvertendum cum cl. De Herdt (*Pr. Lit. Tom. III. n. 237*), si Missa dici nequeat praeceptiva, a fortiori praeceptivum, per se saltem, non esse defunctorum officium, cum Rituale eodem fere modo pro utroque se exprimat. Aliunde lex supponere potuit congruam retributionem ex parte haeredum defuncti, qua deficiente,

Parochus non tenebitur illud gratis facere. Diximus, *per se saltem*, ab alia scilicet lege abstrahentes, Synodorum, consuetudinum locorum etc.

II. Secundo quaeritur, utrum iuxta praesentem disciplinam liceat, et quo in casu, Missa lecta pro paupere defuncto, loco cantatae? Quidque de Missa in casu sine applicatione?

Animadvertendum pro responso ad praesens quaesitum, extitisse hac super re nonnulla Decreta, quae aut vetabant, aut intra quosdam limites tantum Missam privatam permittebant pro paupere defuncto, impari solvendis expensis. Ita Decretum in *Viterbien.* d. d. 11 Apr. 1840 eiusmodi Missam prohibebat edicens: Serventur Rubricae et leges Synodales ». Alterum in *Brugen* d. d. 12 Sept. 1840 ad 1. hanc Missam lectam indulgebat, alii Decreto, nempe *Curien.* 19 Iun. 1700, innixum, sub quibusdam tamen limitibus. Aliud denique in *Mechlinien.* 22 Maii 1841 ad 6, eamdem permittebat Missam, ratione consuetudinis; sed haec Decreta expuncta sunt omnia. Haec quidem disciplina antiqua, quae expositi quaesiti rationem constituit. Huic tamen diversa suffecta est disciplina recens, post aliud Decretum, quod generale est, et in novissima Collectione insertum. Illud referre praestat: « An pro paupere defuncto, cuius familia impar est solvendi expensas Missae exequialis cum cantu, haec Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus praefata Missa cum cantu conceditur? « S. R. C. respondit: » « Affirmative, seu permitti posse in casu Missam exequialem lectam, loco Missae cum cantu; dummodo in Dominicis aliisque festis de praecepto non omittatur Missa officio diei currentis respondens (9 Iun. 1899). Decretum Sanctitas Sua, Leo Pp. XIII, die 8 Iun. eod. an. ratum habuit confirmavitque.

Hinc patet: *a)* In praesentiarum Missam lectam loco solemnis vel cantatae, cum de paupere agitur, cuius familia solvere non valet expensas pro cantata,

esse permissam, et hanc aequivalere exequiali. *b*) Hanc autem, non diebus III, VII, XXX et anniversario, sed tantum in die aut pro die obitus indultam esse, quia exequiali sufficitur. *c*) Nullis eam coarctari limitibus, sed toties permitti quoties permissa est exequialis. *d*) Unam tantum esse posse, non plures, quia exequialis pariter una tantum esse debet. *e*) Denique hanc Missam nil communis habere cum Missis privatis pluribus, exequiali supposita, quae per alterum Decretum, nempe **Aucto** d. d. 19 Maii, pro die obitus conceduntur.

Insuper quaeritur quid censendum de Missa privata sine applicatione pro defuncto. Respondemus: aut ritus eam permittit, aut non. Si primum, nulla posset institui quaestio, uti patet, quia eam, praesente corpore, lex non vetat; cumque applicatio pro defuncto ex dictis non obliget, applicari poterit ad placitum Celebrantis. Quod si appareat quaedam illusio in casu, quia praesente cadavere dicitur, et non pro eo applicatur, mox diluemus hanc difficultatem. Si alterum, generaliter respondendum foret eam non esse licitam; eoque magis in casu, quia Augustinus Missam lectam operatus fuit in duplici II classis. Equidem ille putabat eiusmodi Missam, dicto duplici occurrente, et quidem cum feriatione, non impediri, sed in eo certe erravit; quia Decreta antiquiora, etsi Missam permisissent, prohibebant tamen in dicti ritus occursu, quod illi notum esse debuerat. Recentissimum autem Decretum Augustinus silet, ut iure dicendum foret, ipsi ignotum fuisse. Appellavit autem ad Decretum S. Cong.nis Concilii, sed perperam; quid enim hoc dicit? Missam posse dici praesente Cadavere, et pro aliis non pro eodem defuncto applicari. En eius textus: « An Sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebrans, non recepto stipendio, debeat pro ipso defuncto, vel potius pro aliis petentibus et eleemosynam offerentibus Sacrificium applicare queat ». Responsum est autem: « Negative ad I^um^, Affirmative ad alterum ».

Sed C. Concilii de tempore vetito pro dicta Missa se non occupat: et iuxta exposita tunc erat prohibita.

Cum nihilominus fieri possit, ut lex servetur, etiam inscio agente, non ultra gravabimus Augustinum dicentes, Missam lectam pro paupere defuncto in casu probari posse, si praefati pauperis funus, accidit post Decretum Generale suprarelatum diei 9 Iun. 1899, quod eam etiam in duplici II classis, esto cum feriatione, permittit.

Quid vero censendum de omissione applicationis pro defuncto? Prima fronte id videtur quasi illudere defuncto, pro quo putatur Missa applicari, sed aliis applicatur de facto. Videtur etiam illusio fidelium, qui id iudicant quod revera non est. At reponimus primo, illusionem non esse, quia semper defuncti anima iuvatur cum orationibus et precibus Missae diei obitus, et potest etiam fructus sacrificii ex divina dispositione particeps fieri. Secundo, cum S. C. Concilii id permittat, nobis non licet permissionem minus aequam iudicare, ut in hoc Augustinus nulla sit redargutione dignus. Eapropter et id licebit aliis in casu simili, sicut Augustino licuit.

III. Quaesitum postremum postulat, quid de omissione Absolutionis censendum, cum eam Augustinus omiserit ex defectu eleemosynae. Reponimus, Absolutionem post Missam exequialem esse in praecepto, nec sine legis violatione omitti posse. *a*) Nam Absolutionem Rituale Romanum illis precibus accenset, quae **nunquam omittuntur** *(Tit. VI, Cap. 4, n. 18)*. *b*) Hinc de Herdt notat: « Si... Missa exequialis et officium defunctorum differantur, aliae tamen preces (praecipue Absolutio) et suffragia nunquam omittuntur, neque differuntur *(Tom. III, n. 262)* ». *c*) Hinc Erker explicite docet : « Haec Absolutio vel fit praesente corpore defuncti, et tunc ex mandato Ritualis Romani **fieri debet** *(Enchirid. Liturg. n. 260)* ». Idque communiter periti affirmant, sicuti negant cum agitur de

Absolutione absente corpore. Eapropter agendi ratio Augustini, in casu, probari nequit vi legis, ut nil dicamus de quadam venalitatis specie, satis redarguenda in casu.

Quid praeterea dicendum, casus quaerit, de recitatione *De profundis* in reditu ad sacrarium. Reponimus id iuxta legem fuisse factum, clerici enim optime suffici possunt Ministris sacris pro his dicendis precibus. Decretum autem recens in *Vicentina* Rubricam Missalis exponens dubio sequenti: « Utrum in reditu in sacristiam, Absolutione ad tumulum expleta....., dici debeat *Si iniquitates*, cum psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium* » respondet: « Affirmative iuxta Missale Romanum *(11 Mart. 1899)* ». Est ergo omnino certum ex Rubricis et Decreto relato, sicut etiam ex aliis, quae praefatum citat, uti *Brixien.* 28 Iul. 1832 ad 2, et in Florentina 31 Aug. 1872.

Inquiritur postremo de unico cereo circa defuncti corpus adhibito. Reponimus autem in hoc haud laude se dignum ostendisse Augustinum. Rituale enim Romanum habet: « Pauperes, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis expensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; **ac debita lumina** *(non debitum lumen)* suis expensis, si opus fuerint, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet *(Tit. VI, Cap. 1, n. 2)* ». Duo ergo saltem lumina adhiberet Augustinus opus erat iuxta legem. Avaritiam proinde redolet eius agendi modus, dum ipsius Ritualis vi unicuique ex Parochis curandum est, **ne quid avare** *aut indigne in defunctis* **committatur** *(Loc. cit. n. 8).*

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Belgio.* **De ordine reverentiarum Celebrantis et Ministrorum in accessu et recessu a choro.** Celebrans et Ministri dum choro accedunt, ab eoque ultima vice recedunt, quonam ordine reverentias praescriptas facere debeant, an prius altari, deinde choro? An potius choro prius, deinde altari?

Resp. Difficultas oriri potest ex ipso Caeremoniali Episcoporum, quod variis in locis diversa se ratione exprimit: ut alicubi videatur exigere prius reverentiam altari, deinde choro: alicubi vero prius choro, deinde altari. Revera in eo legitur: « Absente Episcopo, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, aliquis Canonicus.... paretur.... et accedat ad altare medius inter Diaconum et Subdiaconum..... et **facta altari reverentia, ac salutatis hinc inde Canonicis** etc. etc. (*Lib. 2, Cap. 30, n. 1*) ». Ex quibus verbis patet, prius altari, deinde choro reverentiam faciendam esse. At vero in eodem Caeremoniali Episc. legitur: « Absente Episcopo, etiam in Collegiatis.... Canonicus paretur.... una cum duobus aliis Canonicis.... Accedet dictus Canonicus celebraturus cum ministris, et **transeundo salutat hinc inde chorum; ac deinde facta reverentia altari** *etc. etc.* (*Lib. 2, Cap. XVII, n. 1*) ». Hinc pariter manifestum est, prius choro faciendam esse reverentiam, deinde altari. Quomodo ergo Caeremoniale intelligendum, ut certa et uniformis servetur agendi ratio?

Iuxta De Herdt facienda est reverentia choro ante accessum ad altare, uti ultimo loco relato expresse praescribitur, seu choro prius, inde altari. Difficultatem autem alterius loci Caeremonialis sequenti modo resolvit: « Re-

spondetur, ibidem (*Cap. XXX, n. 1*) quidem rem faciendam, sed non ordinem praescribi (*Prax. Pontif. Lib. 2, Cap. 9, n. 177*) ». Hinc ad Caput XXX (*n. 1, lib. 6*) explicite notat : « Prius salutantur Canonici, deinde acceditur ad altare, eique fit reverentia ». Quae tamen ratio interpretandae legis haud plene satisfacit ; cum Capite XXX , non solum rem faciendam Caeremoniale praescribat, sed ipsum quoque ordinem. Dictum enim Caput sequentem habet titulum: « **Ordo** celebrandi Missam.... Episcopo absente in Cathedralibus vel in Collegiatis ».

Quantum nos videmus, ipsa lex apprime est perpendenda, ut vel contradictionis species ab ea eliminetur, et quomodo sit agendum innotescat. Itaque animadvertendum primo est, Capite XXX Caeremoniale Episcoporum legem generalem assignare in reverentia facienda ; eiusque vi legis, facienda est reverentia altari primum ; secundo loco facienda est choro. Ratio sapiens abunde patet ; quia altare magis dignitate praestat, quam clerus totus. Praeterea supponit lex, Celebrantem et Ministros accedentes ad altare, chorum non pertransire, dicit enim : *accedat ad altare etc. et facta altari reverentia ac salutatis Canonicis etc.* Iam nunc, Sacerdos et Ministri, cum ad altare accedere debeant, necessario eidem altari inclinare debent ante Canonicos, et contrarium inexplicabilis inordinatio foret.

Altero vero Capite, ubi Caeremoniale prius Canonicis, postea altari reverentiam praescribit, supponit Celebrantem et Ministros, ut ad altare perveniant, ante chorum transire debere, scriptum est enim : *Celebraturus cum ministris... transeundo, salutat hinc inde chorum ; ac deinde facta reverentia altari etc.* Ex quibus utriusque loci Caeremonialis verbis iure inferimus, primum casum ab altero esse diversum ; in primo enim Celebrans et Ministri chorum non transeunt, quem certe transeunt in altero casu. Iam nunc

ita chorus potest esse situs, ut pertransiri non possit prius quam perveniatur vel quasi perveniatur ad altare, uti accidit quando chorus altare ipsum quasi circumit, licet aliquantulum remanere hinc inde possit ab anteriori parte extra ipsum altare. Sed chorus ita etiam situs esse potest, ut fere totum ante altare maneat, hinc inde scilicet in anteriori parte, dum altare manet velut in inferiori extremitate chori. In prima hypothesi Celebrans et Ministri ad altare accedere possunt quin chorum transeant: in altera autem nequirent, quin dictum chorum necessario transire debeant. Quid ergo lex? Quando chorus transiri non debeat, prius altari, inde choralibus fiat inclinatio: quando transiri chorus debet, prius choro fiat, postea, cum ad altare pervenerint Celebrans et Ministri, fiat altari.

Hoc autem omnino convenit; quia reverentiae, sive altari, sive choro, tunc fieri debent, quando ad alterutrum acceditur; ergo cum primo acceditur ad chorum, hic primo salutandus; quando primo acceditur ad altare, huic primo inclinandum. Nulla ergo incohaerentia in lege, quae uti iacet servanda est, ratione ad chori situm habita.

Hinc Martinuccius: « Ingressus in chorum seu presbyterium (*Celebrans*) nudabit caput..... ac si Clerus in choro iam aderit, reverebitur eum..... Ante altare reverentia profunda ad crucem facta etc. (*Lib. I, Cap. XIV, § IV, n. 4 et 6*) ». Hinc et A Carpo: « Si eundo ad altare (*Celebrans*) transeat v. g. ante chorum, reverentiam faciet.... Quando accedit ad altare.... profunde se inclinat .. (*Caerem. iurt. Rit. Rom. De Celebr. in Miss. solemn. Cap. II, n. 131*) ». Atque ita communiter periti omnes, cum chorum supponunt ut in primo casu: oppositum faciendum esse in secundo, satis per se patet, ut tempus in probationibus allegandis terere non indicemus. Itaque responsio ad propositum dubium haec est: si chorus sit ante altare, ac transire illum necessario debeant Celebrans et

Ministri, prius quam altare salutandus est : si chorus transiri non debeat, quod diversa ratione situs est, prius altari quam choro est inclinandum.

Omnia quae diximus de ingressu, et de egressu intelligas : ita ut ministri discedentes semper inclinare se debeant prius altari, deinde choro ; quia ad altare sunt, et ab illo discedunt chorumque vel transeunt vel non. Si primum, altari antea inclinandum deinde choro, ex dictis patet ; si alterum, altari pariter priusquam choro inclinandum, quia, uti exposuimus, id exigit maior altaris dignitas.

II. *E Dioecesi N.* **De ordine servando in imponendis Cineribus, ab Episcopo benedictis, eidem Episcopo, ab eoque recipiendis.** In quadam Cathedrali Ecclesia primo quadragesimae die Cinerum benedictionem persolvit Archiepiscopus loci, Episcopo Coadiutore suo praesente, cum tamen Missa a Canonico esset concinenda. Quaestio autem exorta est, cuinam competeret Archiepiscopo Cineres imponere, ab eoque recipere, an scilicet Coadiutori Episcopo, an Canonico celebraturo. Quid iuris ?

Resp. Certa lex est Caerèmonialis Episcoporum, dicens : « ..... Canonicus celebraturus Missam, solus accedit ad eum (*Episcopum*)..., et imponit Cineres in caput ipsius sedentis (*Lib. II, Cap. XVIII, n. 8*) ». Inde prosequitur : « Quo facto, Episcopus... imponit Cineres eidem Canonico Celebranti (*Loc. cit. n. 9*) ». Hinc cl. De Herdt commentatur : « Cineres Episcopo imponit Dignitas vel Canonicus, qui ea die Missam celebrat post Cinerum benedictionem (*Hoc loc. n. 286*) ». Est sententia communis omnium peritorum, omniumque Ecclesiarum praxis, utpote perspicuae legi plane conformis.

Dubium fortasse oritur in casu proposito, quia Episcopus Coadiutor praesens est ; at depones illud profecto, si sequentia animadvertas. *a*) Episcopus Coadiutor, ma-

xime Coadiuto praesente functionem agente, considerari nequit; non enim Caput est, sed Capitis adiumentum, quo Capite per se ipsum agente, idem est ac si non esset, dignitate excepta, ex qua omni veneratione Coadiutor dignissimus est. *b*) Lex Caeremonialis, quamvis Coadiutorem non nominet explicite, implicite tamen a Cineribus imponendis Episcopo loci, ab eoque recipiendis excludit, ait enim: « Si quis **Praelatus** alias supra Canonicos stare, vel sedere soleat, **ei** dabit Episcopus Cineres **stanti** (*Loc. cit. n. 11*) ». Nonne uti Praelatus considerandus in casu Episcopus Coadiutor, cum functionem Coadiutus per se peragat? Aliunde Cineres imponere Episcopo Ordinario, ab eoque recipere, Celebrantis esse, docet Caeremoniale. *c*) Cineres benedicere, imponere Episcopo et recipere ab eo, relationem dicunt inter se et cum Missa. Nam eas benedicere Celebranti competit: ut cuicumque Sacerdoti, et Episcopo etiam, id non liceat, ex lege Decretorum (*Romana Dubiorum 9 Maii 1893, n. 3798 ad II*). Quod si Ordinario tantum Episcopo id liceat, ex eo derivat, quod superior cum sit Canonicorum, et iurisdictione fruens, benedictionem per se facit, Missamque Canonico ex pleno iure committit, ut comprobetur regula: *Qui per alium facit, ipse facit.* Superiores ergo ceteris sunt in casu: Episcopus benedictionem agens, et Celebrans ex voluntate Episcopi, cuius vices agit, canens Missam. Ergo etiam Cinerum impositio Episcopo et Celebranti, per eosdem facienda, et Episcopus Coadiutor ab hoc adimplendo munere necessario manet exclusus, cum sit eidem muneri velut extraneus. *d*) Allegari fortasse posset in contrarium Rubrica Missalis, quae exigit, ut impositio Cinerum Celebranti fiat per digniorem de clero; ergo concludi posset, per Episcopum Coadiutorem eam in casu faciendam. Sed Rubrica Missalis supponere non potest praesentiam Episcopi Dioecesani, pro cuius solemnibus functionibus ut Cae-

remoniale servetur statutum est. Insuper Dioecesanus Episcopus ceteris et dignior, solusque post eum Canonicus Celebrans, ut supra dictum est. *e)* Afferri quoque posset in medium alia Rubrica Caeremonialis super candela aut palma, loci Ordinario tradenda per digniorem de clero. Sed nihil prorsus valet, quia aliud est traditio candelae aut palmae, aliud est Cineres imponere. Illud simplex est actus honoris, vix cum Missa relationem habens, ut post earum benedictionem ac distributionem processio fiat; hoc vero est quodammodo actus superioritatis, quem exercere debet Celebrans super Episcopum quatenus Celebrans, et ex delegatione commissa sibi ab ipsomet superiore suo Episcopo. Hinc in candelae aut palmae traditione vult lex digniorem de clero, in Cinerum impositione vult Celebrantem. Quod et Decreta docent, uti in una *Brixien.* 28 Maii 1616, et *Brundusina Dubiorum* 12 Iun. 1627: quae differentiam legis exhibent, a Caeremoniali traditam, quamque servandam edicunt. Quod si haec Decreta fuerunt e nova Collectione expuncta, una fuit expunctionis ratio, videlicet legis perspicuitas: ut eorum expunctio legem servandam significet, cum ceterum et ipsa vim habeant, quippe quae legi conformia sunt.

Concludimus certum esse, Celebrantem imponere debere Cineres Archiepiscopo, ab eoque recipere, non Episcopum Coadiutorem; nec si forte aliquis contrarium sentiat, audiendus, cum certae legi manifesto adversetur.

III. *E Dioecesi Cameracensi.* **De Decreto super inhibitione sonitus organorum in cantu Praefationis et Orationis Dominicae.** Quaeritur de intelligentia dicti Decreti hoc est **Dubium**, num scilicet quoties Praefatio in Missa decantatur aut Oratio Dominica, eo sit sensu sonitus organorum prohibitus, ut neque cantantis vocem sonitus sustinere debeat.

Resp. Decretum satis est perspicuum; sonitui namque

Organorum in eiusmodi modulationibus, a Celebrante in Missa cantata peragendis, **obstat Caeremoniale Episcoporum** *Lib. I, Cap. 28, § 9,* **quod servandum est** (*27 Ian. 1899, n. 4009*). Organum ergo in casu pulsari non potest sine legis fractione. Iam nunc quaeri potest, utrum organum pulsetur nec ne, quando sustinere debet cantantis vocem. At nemo non videt, revera organum in casu pulsari; ergo non licet. Sacerdos autem meliori ratione qua potest se gerat, si aut in cantu minus peritus, aut in voce minus sit aptus: lex tamen servanda. Quod nisi fiat, non solum in Oratione Dominica et in Praefatione, sed in omnibus aliis Missae partibus, seu a Celebrante, seu a Ministris plus minusve modulandis, organum adhiberi posset. Omnes enim tam Celebrans quam Ministri, et minus in cantu periti esse queunt, et minus apti quod vocem seu musicalem aurem attinet; et tunc manifesto paulatim legi Caeremonialis dicendum foret *cale*. Aliunde Caeremoniale Episcoporum in solis Missae partibus permittit organum, quas modulari chorus debet, seu cantorum schola, uti sunt Introitus, Kyrie, prosecutio hymni angelici et symboli, Sanctus, Agnus etc. Cum autem in his solum partibus organum lex indulgeat, manifeste sequitur ex eo, in accentu, sive intonationibus Celebrantis, aliisque partibus, seu ab ipsomet seu a Ministris modulandis, organum esse prohibitum. Vix autem innuendum Summos Pontifices velle omnino, ut Caeremoniale istud servetur, id enim explicitis verbis et gravibus significant. Satis sint praecipua verba referre, quibus voluntatem suam manifestat Clemens Papa VIII: « Caeremoniale Episcoporum... de Apostolicae potestatis plenitudine..... approbantes..... perpetuo observandum esse **praecipimus et mandamus** (*Ante Caer. Episc.*) ».

Nota. In Thuscia est civitas et dioecesis, cui nomen: **Biturgia**, seu ecclesiastice: « Burgi Sancti Sepulcri »: in

qua *officium* recolitur, merito saltem arbitramur, *Sancti Sepulcri*. Episcopo Dioecesano praesenti nomen est **Raphael Sandrelli**, a quo exemplar dicti officii facile habere poterit adm. Rev. Consulens, uti etiam ex Fratribus Minoribus, qui idem officium agunt.

IV. *Ex Hollandia*. **De anniversariis late sumptis**. Quaeritur, an definitio, quam exhibent Ephemerides *(Vol. XII, pag. 220)*, alicui Decreto innitatur, et quomodo *late sumpta* dici possint.

Resp. 1. Affirmative: hoc est anniversaria *late sumpta*, quae Ephemerides definiere, super Decreto Gen. innituntur de Anniversariis dato die 2 Dec. 1891, num. 3753. Revera, postquam S. R. C. locuta est de anniversariis (simpliciter dictis), quippe quae talia de facto sunt, cum in unoquoque anno fiant, dieique obitus respondeant, statuit: « De speciali tandem gratia permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint *anniversaria*, **quamvis a die obitus non sint**, quae a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent: nec non illa quae pro fidelium pietate infra octavam Omnium fidelium Defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis ». Hinc patet: *a*) dicta anniversaria vocari talia, cum tamen vere non sint, non sunt enim **a die obitus**. *b*) Eadem autem esse, quae celebrantur a piis Communitatibus. *c*) Eadem esse quoque, quae celebrantur infra Octavam Defunctorum, hoc est a die 2 Nov. a 9 eiusdem mensis. Hoc profecto, nihilque diversum, loco ab adm. Rev. Consulente citato Ephemerides dixere. Inferes S. R. Cong.nem voluisse in gratiam defunctorum haec anniversaria, quae vere talia non sunt, permittere, atque anniversaria *lato sensu* nuncupare.

Resp. 2. Uti anniversaria *late sumpta* placuit S. R.

Cong.ni nuncupare ea, quae fiunt quotannis a piis Communitatibus, quamvis non sint ab obitu, neque alia determinata die a testatoribus statuta, ita eodem prorsus modo anniversaria *late sumpta* eidem Cong.ni placuit appellare illa, quae infra octavam Festi Omnium Sanctorum, vel Defunctorum celebrantur. Nonne et ista quotannis et semel fiunt? Nonne et ista extra diem obitus sunt? Nonne et ista iamdudum fideles appellare anniversaria consueverunt? Quo ergo sensu anniversaria *late sumpta* appellantur ea, de quibus in prima responsione diximus, eodem sensu anniversaria dicuntur, quae infra dictam octavam celebrantur. Utraque eapropter speciali fruuntur privilegio, ut in duplici minori fieri possint.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Eystadio.* Circa Missam cantatam exequialem post acceptum nuntium alicuius obitus, Decretum Generale num. **3755** ad III sic decernit: « Denique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel *eius acceptum a locis dissitis nuntium*, die quae prima occurrit, *non impedita a Festo* **duplici primae et secundae classis** vel a festo de praecepto ». Inferes: praedictam Missam non posse cantari Feria II et III post Pascha et Pentecosten; sed neque aliis diebus infra easdem octavas, nec posse etiam cantari feria IV Cinerum, Vigilia Nativitatis Domini et Pentecosten, cum licet haec dies neque festa sint de praecepto neque ritum primae vel secundae classis habeant, excludunt tamen eadem duplicia primae classis.

Nota. Alibi scripsimus (*Ephem. Liturg.* Vol. XII pag. 306) de his Missis: « Haec Missa ex indulto est et privilegiata ad instar aliorum dierum, nempe III, VII, XXX et anniversarii. Hinc censemus, hanc Missam iisdem subiacere impedimentis, quibus Missae praefatorum dierum subiacent ». Cum in illo tempore Decretorum Collectio evulgata non esset, conclusimus: « Quidquid sit, novae Collectionis continuatio omnem adimet rationem dubitandi: interim expectandum ». Novae Collectionis Decreto evulgato, doctrina ab *Ephemeridibus* tradita mutari debet nam Missa cantata post acceptum nuntium alicuius obitus magis privilegiata evasit quam Missae in die III, VII, XXX et Anniversario, idcirco iisdem non subiacet impedimentis.

II. *Pro Gallia.* In festo Apparitionis B. Mariae V. a *Lourdes* nuncupatae ad Praefationem dicendum est: *Et Te in Conceptione Immaculata.* Ita expresse adnotatur in omnibus editionibus typicis Missalis, quas apud nos habemus. Idcirco erravit ille Calendarii Redactor, qui docuit dicendum esse: *Et Te in Festivitate*; ut imposterum error praedictus sit corrigendus in Calendario.

III. *Pro Rucupis in Amer. Sept.* Quaeritur: praxis his in regionibus viget, expleto candelarum numero per Rubricas praescripto, addendi in functionibus alias stearinas aut ex sevo confectas pro altaris ornamento. Potest ne continuari haec praxis nonobstante Decr. in *Policastren*, d. d. 4 sept 1875, num. **3376** ad 3? — *Resp.* Praxis haec non potest continuari et candelae altaris, etiamsi ad ornamentum sint, debent esse ex cera. Ecclesia nunquam permisit ut ab hac praxi discederetur. Episcopus Carolinopolitanus Sanctae Sedi exposuit « in Ecclesiis suae Dioecesis usum invaluisse adhibendi candelas ex sevo confectas, et huic irregulari praxi locum dedisse tum paupertatem earumdem Ecclesiarum, tum magnum pretium

cerae in istis Americae regionibus », idcirco postulavit « ut attentis expositis rationibus de Apostolica benignitate hanc ipsam consuetudinem servari posse permitteret ». Santitas vero Sua iussit « ut Amplitudini Tuae communicaretur mentem suam esse, ut curante Amplitudine Tua, inductus abusus adhibendi candelas ex sevo eliminaretur » (10 Dec. 1857, num. **3063**). Si igitur prohibitus fuit usus candelarum non ex cera confectarum, quamvis rationabiles adessent causae, multo magis dicendus est prohibitus quando istae causae non extant, uti in casu.

IV. *Pro eod. loco.* In praxi etiam Romae aliquibus in Ecclesiis ponuntur candelabra super mensa altaris, quando SS.mum expositum est. Praxis ista tolerari potest; maxime vero, si forma altaris eiusmodi sit quod, si candelae super mensam altaris non ponantur, nonnisi paucissimae poni possint.

V. *Item pro eod. loco.* Signum Crucis a celebrante faciendum, antequam amictum prae manibus accipiat, a Rubrica non praescribitur; a nonnullis tantum auctoribus absque ulla ratione convenienti illud faciendum dicitur. Sed caeremoniarius munus suum pariter adimplebit tam si Neo-sacerdoti suadeat illud faciendum, quam non; gaudet enim sua libertate.

VI. *Pro eod. loco.* Velum calicis plicetur eo modo quo placet; nihil enim refert quod externa pars appareat vel interna. Res nullius momenti est, de qua lex silet; idcirco auctores docent quae magis ipsis arrident, et praxis varia est.

VII. *Pro Gallia.* Missa votiva de SS. Corde Iesu permittitur ne in Vigilia Epiphaniae, ut legitur in *Ephem.* an. 1892, pag. 285 et an. 1899. pag. 329; vel prohibetur, ut legitur in eisdem *Ephem.* an. cur. pag. 178? — *Resp.* Ex hac diversitate sentiendi Rev. Consulens facile arguere potest quaestionem in incerto esse, atque non adesse argumenta peremptoria ad illam dirimendam. Dubiorum so-

lutores in diversam sententiam abiere, quia, cum non ex principiis certis atque evidentibus conclusio deduci posset, unusquisque prouti sibi magis arridebat, conclusit. Idcirco melius dicendum videtur, in praxi quomodo magis placet, ita agatur, saltem donec competens auctoritas mentem suam aperiat.

VIII. *Pro eod. loco.* Normam, quam tradit Decr. num. **4042** ad V, quando plures Commemorationes de eodem Communi faciendae sunt, ita intelligi debet: *ad Vesp.* Antiphonae et versiculi de primis et secundis Vesperis dicenda sunt pro festis concurrentibus; pro Commemoratione simplicis vel simplificati antiphona sumatur ex Laudibus, versiculi vero, cum generatim iidem sint ac in 2° Vesp. sumantur ex 2° Nocturno; versiculi enim 1° Noct. iidem sunt ac illi 1^{arum} Vesp.; quod si etiam alia commemoratio facienda est, tunc antiphona sumatur illa quae est primi Noct., versiculi vero ex tertio Noct. *ad Laudes:* antiphona pro officio currenti erit illa de Laudibus cum suis versiculis, pro simplici vel simplificato erunt illa de primis Vesperis, pro alia commemoratione, antiphona erit de 2^{is} Vesperis, versiculi vero de 2° Noct.; quod si etiam alia Commemoratio facienda erit, antiphona sumatur illa quae est prima primi Noct. versiculi vero ex 3 Nocturno.

Igitur pro pluribus faciendis Commemorationibus sequens haec prae oculis habeantur ut nunquam eadem antiphona et iidem versiculi repetantur; idcirco pro eorum variatione hic ordo teneatur: *ad Vesp.* prius antiph. et ℣. de 1^{is} et 2^{is} Vesperis dicantur, deinde de Laudibus, dummodo iam ex toto vel ex parte dicta non sint, deinde de Nocturnis eodem modo. *Ad Laudes:* prius antiph. et ℣. de Laud., deinde de 1^{is} et 2^{is} Vesp., dummodo iam ex toto vel ex parte dicta non sint, deinde de Noct. eodem modo. Regula nobis satis clara videtur.

Vota. 1. Circa *Alleluia* pro Missa votiva SS. Cordis

Iesu extra tempus paschale, an scilicet dicendum sit, uti docuerunt *Ephem.* (an. 1897, pag. 346), an omittendum uti statuit Decret. in *Lincen.* d. d. 6 Februarii 1896 (num. **3764**) ad X, quaestio in Indice Generali Decretorum proxime evulgando, solutionem suam habebit.

Nota 2. Quid dicendum de novissimo illo invento, vulgo dicto *les projections lumineuses*, in ecclesiis ab aliquibus concionatoribus usurpato? Unum dicimus, nempe esse omnino indecens. Ad quid haec theatralia inventa in Ecclesiis? Ecclesia locus sanctus est, cultui divino destinatus non repraesentationibus theatralibus; sancta vero semper sancte tractanda sunt.

IX. *Pro Gallia.* Sacerdotes qui ad officium in choro recitandum tenentur, non possunt seiungere Matutinum a Laudibus, uti eruitur ex Dec. S. R. C. d. d. 11 Martii 1871 (num. **3241**); intelligi tamen non debet decretum istud de iis qui simul officium recitant in propriis capellis ex devotione vel ex usu et maiori commoditate; sed tantum de iis qui tenentur ad officium integrum diei recitandum in choro, uti canonici, religiosae familiae etc. et quando privatim illud non recitant. Primi enim non dicuntur teneri ad chorum; melius diceretur: teneri ad summum ad officium in communi persolvendum. Cum autem haec divini officii recitatio, quamvis in communi fiat, privata sit, iisdem subiacet regulis ac recitatio quae ab uno, a duobus, vel pluribus, maioris commoditatis gratia simul fit.

X. *Pro eod. loco.* Additiones quae ex S. R. Cong.nis praecepto quibusdam officiis Breviarii Romani, uti ex.gr. illis S. Vincentii a Paulo, S. Paschalis Baylon, Dedicationis SS.mi Salvatoris etc., faciendae sunt, directe respiciunt futuras editiones eiusdem Breviarii; indirecte tamen respiciunt etiam editiones iam existentes, quatenus nempe, *in quantum fieri potest*, et illis adiungendae sunt. Quod

verum est etiam de S. Stanislao Episcopo et M.; nam in ultimis editionibus typicis legitur additio de extensione eius festi ad universam ecclesiam per Clementem VIII facta.

Nota. Decretum quo Clemens XI festum S. Vincentii Ferrerii a ritu semiduplici ad libitum ad semiduplicem de praecepto evexit, nullimode invenire potuimus. Parcat ergo nobis Rev. Consulens.

XI. *Pro Neapoli.* 1. Etsi Celebrans sciat, sacrum lapidem esse nimis parvum, bene tamen in altari potest facere Missam; quia moraliter lapis extenditur per Corporale sacrum. 2. Pyxis ornata esse optime **potest** conopeo, dum defertur ad altare pro consecratione hostiarum; et dummodo aperiatur, conopeum habere etiam adhuc in consecratione potest, et purificata etiam super altare manere, usque ad finem Missae. 3. Velum humerale non adhibetur in benedictione cum Reliquiis Sanctorum, sed tantum in benedictione cum Sacramento, ad summum cum Reliquia S. Crucis. Thus benedicitur ante, si adhibeatur illis, ambabus manibus tenetur Reliquiarium in benedicendo, et nihil canitur in actu benedictionis.

XII. *Pro Loudino.* Collecta ab Ordinario imperata quando sit dicenda, et quando omittenda, notum est. Iam nunc ex qua lege Collecta eadem, si sit pro re gravi, dicenda est semper, ne duplicibus quidem I cl. exclusis? Decretum **3009** ad 3. contrarium edicit: adeo ut in Collecta imperata recitanda, etsi pro re gravi, ordinaria norma sit sequenda. At, hoc haud obstante, Episcopus Ordinarius potestne praescribere ut praefata Collecta, quae vere tamen sit pro re gravi, semper dicatur, ne duplicibus quidem exclusis primae classis? Quid dubii? Hoc autem edicit Decretum **3365** ad 3. Patet ergo, nullam in duobus Decretis esse contradictionem.

Item Decreta edicunt, Collectam imperatam non esse

dicendam in Nativitate Domini, in Pascha, in Pentecoste, in Dom. Palmarum etc. sed hoc non significat, Ordinario esse sublatam facultatem Collectam aliquam iisdem diebus indicendi, si pro re gravi vere illa sit: ita omnia hoc super negotio Decreta cohaerent inter se.

XIII. *Pro Turonibus.* 1. Facultas transferendi festum a die sua fixa ad Dominicam primam liberam, vere privilegium constituit; quia ex lege communi Rubricarum quodcumque festum impeditum transferri debet in primam diem liberam: Dominica autem numquam libera est. 2. Eiusmodi privilegium, anno 1878 obtentum, contra legem erat, et contra legem remansit etiam post annum 1882; cumque sit privilegium particulare, abrogari nequit per quodcumque Decretum constituens legem generalem. 3. Sequitur idem privilegium in toto suo robore adhuc permanere.

XIV. *Pro cod. loco.* Si festum Apparitionis B. M. V. a Lourdes dictae pro die 18 Febr. concessum fuit, ideo id factum credimus, quod dies 11 erat impedita; est ergo illa dies *assignata*, non *quasi-natalitia*. S. Ioannes Chrysostomus vero diei eidem assignatus, ob festum S. Iuliani die 27 Ian. recolendum, cedere locum iure debuit festo Apparitionis ratione dignitatis.

Indumenta Liturgica in Ecclesia Latina

Commentaria critico-historica.

(*Cont. vid. n. 5 pag. 305*).

II.

Alba.

1. Antiquitus alba plura habuit nomina, iuxta varios modos iuxta quos considerabatur. Ita dicebatur *linea* vel *tunica linea*, ex materia, quia ex lino confecta erat ; dicebatur *talaris*, *tunica talaris*, ποδήρης, ex forma, quia usque ad talos pertingebat : dicebatur *alba* , ex colore nempe albo. Insuper alia nomina habuit uti *alba Romana*, *camisia*, *camisium* etc. Hodie communiter *alba* vocatur ; italice vero dicitur *Camice* idest *Camisium*.

Albae historia ad Saec. IX usque aliquantulum obscura est, non quia eius usus antea ignoraretur; sed quia nobis desunt documenta. E contra in isto saeculo plura adsunt documenta, ex quibus facile colligi potest quae ad eius usum, formam etc. pertinent. Idcirco in hac tractatione cl. Braun sequemur ; documenta nempe saec. IX prius afferemus, deinde illa huic tempori anteriora.

2. *Alba Saec. IX.* « Secundum (vestimentum), ait Rabanus Maurus, est linea tunica, quae graece ποδήρης, latine *talaris* dicitur eo quod ad talos usque descendat (1) ». Et Amalarius : « postea camisiam induimus, quam albam vocamus (2) ». Alba linea est quia ob suum nitorem castitatem significat. Usque ad pedes pertingit, quia sacerdos bona opera operari debet usque ad mortem et malum

(1) *De Institutione clericorum, lib. I, cap. XVI.*

(2) *De Ecclesiast. officiis, lib. II. cap. XVIII.*

fugere : « tibias et pedes (stringit) ne ad malum (sacerdos) currat (1) » ; « ad talos usque descendit, quia usque ad finem vitae huius bonis operibus insistere debet sacerdos (2) ». Iuxta Rabanum linea stricta est; sed iuxta Amalarium est larga. Veteris legis sacerdotes, inquit, strictam deferebant : « haec adhaeret corpori et ita arcta est et strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga » ; sed novae legis sacerdotes illam largam deferunt : « in eo distat vestimentum illud a nostris, quod illud strictum est, nostrum vero largum ». Id ex mystico sensu accidit, qui ita a dicto Amalario explicatur : « etenim hi, qui in veteri testamento spiritu servitutis erant adstricti, de quo dicebat Paulus : *non enim accepistis spiritum servitutis in timore*. Nos vero quia Filius liberavit, liberi sumus, non accepimus spiritum servitutis in timore, spiritum adoptionis filiorum. Ac ideo sic illorum strictum, nostrum largum propter libertatem, qua Christus nos liberavit ».

Ex his facile colligitur albam IX saec. eamdem fere habuisse formam ac praesentem. Quod comprobatur etiam ex monumentis illius temporis, in quibus alba apparet tamquam tunica larga quae usque ad pedes descendit ; si supra habeatur alia tunica, ex. gr. dalmatica, tunc manicae sunt strictae ; si nihil habeatur sunt et ipsae largae.

3. Saec. IX alba induebatur non solum a sacerdote, sed etiam a ministris inferioris ordinis. Testimonium habetur in Amalario de cantoribus. « Primi cantores (Veteris Testamenti), inquit, vestiti erant byssinis, ut verba dierum narrant (2 Paralip. cap. 5, v. 12 et seqq.) . . . . Ex natura byssi possumus intelligere quam proxima sint inter se haec duo, byssus et lineum quo nostri cantores

(1) *Amalarius*, l. c.

(2) *Rabanus Maurus*, l. c.

utuntur (1) ». Et alibi : « Ministri casula se exuunt, quando lectoris sive cantoris officium assumunt . . . . . *Albam* sine casula portat lector seu cantor in singulari officio (2) ». De Diacono et Subdiacono nihil expresse dicitur, sed dubitari nequit et illos in suo officio albam induere. In re minio picta Sacramentarii huius saeculi, quod in Seminario Augustodunensi asservatur, videre est sacros ministros, ab Ostiario ad Episcopum, deferentes albam. Pro Ecclesia Romana testimonium, quamvis indirectum, super hac quaestione suppeditatur ab Ordine I alibi citato (*Ephem. an. cur.* pag. 120, num. 2) ubi legitur, Pontificem super albam induere duas dalmaticas; legitime ergo, nobis videtur, inferri potest etiam Subdiaconos, Diaconos et forsan alios clericos non induere casulam vel dalmaticam absque alba. Aliud testimonium, hoc vero directum, in ordine V habetur, ubi numerantur vestes clericorum, inter quas suum locum tenet et alba ; et in Ordine Romano a Duchesne edito ubi legitur : « Subdiaconi . . . . induunt se tonicas albas quales habent, sericas aut lineas **(Duchesne**, *Orig. du culte chretien*, *Appendice*). »

4. Ceterum notandum est adhuc in saec. IX immo et saec. X alba non tantum uti indumentum sacrum, sed etiam uti indumentum commune fuisse delatum. Hoc eruitur ex prohibitionibus ab Episcopis factis, scilicet ne in ministerio altaris clerici eadem induerentur tunica, quam communiter induebant. Ita an. 889 Riculphus Noviodunensis Episcopus prohibet ne clerici in celebratione divinorum officiorum alba utantur, quam communiter induunt. *Constitutio Synodalis* praescribit, « ut nullus in *alba*, qua in suos usus utitur, praesumat cantare Missam ». In formulario pro visitatione Ecclesiarum apud Reginaldum le-

(1) op. c. *lib. III. cap. 4.*
(2) *ib. cap. 15.*

gitur ut Episcopus videat, « si (Sacerdos) absque *alba* aut cum *illa alba* qua in suos usus utitur, Missam cantare praesumat ». Et etiam S. Leo Pp. IV († 855) decrevit : « nullus in *alba* qua in suo usu utitur, praesumat Missam cantare (1) ». Igitur, ex citatis auctoritatibus colligitur : 1. Has duas albas non differre inter se, neque quoad formam, neque quoad qualitatem ; alioquin una prae alia uti non poterant sacri ministri ; 2. inter albam communem et illam, ut ita dicam, sacram, quamvis similes essent, in saeculis IX et X distintionem extitisse, ut una prae alia uti, tamquam abusus haberetur.

5. Conclusio eorum quae diximus circa albam in Saec. IX haec est : in hoc saeculo tunica adhuc induebatur in ordinario vitae vestitu, saltem a clericis ; inter vestes liturgicas larga tunica, quae ad pedes usque descendebat et brachia usque ad manus cooperiebat, numerabatur ; generatim haec tunica ex lino confecta erat ; super amictum induebatur atque omnes clerici eam deferebant in exercitio sacrarum functionum. Nunc vero ad tempora anteriora.

6. *Alba ante Saec. IX.* — Pro his saeculis non potest institui quaestio an inter vestes liturgicas numeraretur etiam indumentum, cui nomen *alba ;* certum enim est hoc indumentum extitisse saltem a saec. IV ; sed, an hoc indumentum eamdem haberet formam quam in saec. IX habebat ; nam ex aequalitate nominis non licet concludi ad aequalitatem rei. Insuper cum alba ante saec. IX etiam existat, non potest asseri hanc albam nullam habuisse relationem cum illa saeculi noni, ita ut forma huius ex abrupto orta sit ; e contra magis rationi et veritati consonum dicere videtur, albam qua utebantur clerici in sae-

(1) **Bona**, *Rerum liturg. Lib. I, cap. XXIV* (in notis R. Sala).

culis, nono saec. anterioribus, habuisse relationem cum illa saec. IX, immo nihil aliud fuisse quam primae transformationem; nobis tamen documenta desunt ad hanc seriem transformationum sequendam. Sed meminisse iuvat, uti in *Prooemio* et supra num. 5 innuimus et inferius fusius explicabimus, albam fuisse indumentum communem, quod plures mutationes passum est, ita ut ex illo indumento dalmatica (1), rochetum, superpelliceum ortum habuerint. Quid ergo mirum quod ex illo hortum habuerit et alba saec. IX ?

7. Tribus prioribus saeculis nullum adest testimonium historicum circa usum albae in sacra liturgia. Hoc supponi potest, quod nempe cum liturgia christiana plures relationes haberet cum hebraica liturgia, et in illa adesset ποδήρης, sicut aderat in ista. Inter scriptores huius temporis unum tantum invenire potui, qui de ποδήρη loquitur, nempe S. Irenaeus ; sed ex illius verbis nihil certi concludi potest circa usum albae in liturgia. Verba enim eius satis obscura sunt, et minime referuntur ad liturgiam. En verba : « Sed et Ioannes Domini discipulus in Apoca-

(1) In Can. 28 Concilii Toletani IV (an. 633) legitur: «Episcopus, Presbyter aut Diaconus si a gradu suo iniuste deiectus in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi ; orarium, annulum et baculum (si fuerit Episcopus) ; si Presbyter orarium et planetam : *si Diaconus* orarium et *albam;* si Subdiaconus patenam et calicem etc. » (Labbé, *Collect. Concil.* Tom. V). Uti patet haec alba est indumentum speciale pro Diaconis ; idcirco non potest esse *alba*, idest tunica linea quae non tantum a Diacono, sed etiam a clericis inferioris ordinis induebatur. Haec alba est dalmatica, quae, ut ait Duchesne, nondum habebat formam quam dalmaticae hodie habent ; quaeque ex materia magis pretiosa quam aliae albae confecta erat (*Origines du culte chretien, chap. XI, n. 1*).

lypsi sacerdotale et gloriosum regni eius videns adventum : *conversum ut viderem vocem, quae loquebatur mecum : Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum ποδήρη et praecintum ad mammillas zona aurea* etc. (Apoc. I, 12 et seqq.). In his enim aliquid a Patre clarum eius significat, aliquid vero sacerdotalem, ut ποδήρη . . . (1) ». Uti patet ex his verbis nihil argui potest circa albam liturgicam.

8. Nihilominus ex hoc silentio auctorum minime, ni fallor, concludi potest albam his in saeculis ignotam fuisse, quia erat indumentum commune. Omnes enim in Romano imperio tunicam deferebant, si nonnullos philosophos excipias ; immo duae vel plures ab aliquibus deferebantur, idest una interna, externa alia. Dicebatur *tunica talaris vel manicata*. « Ab initio haec tunica absque manicis erat, vel illas breviores habebat. Tunicae cum proceris manicis, prioribus adhuc Imperii temporibus uti animi mollitici signum consideratae erant. Saeculo III mutationem hic mos, ex contagio orientalium consuetudinum, passus est. Tunicae manicae usque ad manus pervenerunt. Paullo post et ipsa tunica (quae ante ad genua usque descendebat) ita aucta fuit ut formam tunicae femineae acciperet (quae ad pedem usque pertingebat). Illud quod antea turpe erat, necessitas melioris notae societatis factum fuit. *Talares et manicatas tunicas habere*, scribit S. Augustinus (2), *apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sint, non eas habere flagitium est* (3) ». Tunica, *laticlavia* Senatorum excepta, regulariter circa vitam cingebatur ; in principio,

(1) *Adversus haereses, lib. IV, cap. 20, num. 11.*

(2) *De doctor. Christiana, lib. III, num. 20.*

(3) **Vilpert**, *Un capitolo di storia del vestiario (studio primo).*

uti innuimus, usque ad genua descendebat, postea ad pedes usque descendit. Item quomodo eius forma aliquantulum mutata fuit, ita et materies mutationem passa est. Prius enim tunica ex lana, saeculo III vero ex lino conficiebatur. S. Augustini tempore, tunica interior ex lana, aliae vestes ex lino erant: « Interiora enim sunt linea vestimenta ; lanea, exteriora (4) ». Cum ergo tunica in tribus primis saec. indumentum commune sit, quis prohibet quod etiam in sacra liturgia ministri ea uterentur ? Certe, non considerabatur tamquam indumentum liturgicum, sed nihilominus illam induere debebant sacri ministri.

(*Continuab.*) I. B. A. P. C. M.

ALLELUIA

SPECIMEN

Biblicum, historicum, liturgicum.

(*Cont. vid. n. 4 an. praes. pag. 244*).

Totus octavae paschatis ritus, nonnisi animi eruptio continua est sanctae laetitiae ; atque ideo, dum *Alleluia* abundat, hymni supprimuntur, cum officium ipsum hymni veluti continuationem constituat. Supprimuntur et Capituli ; quia non doctrina, sed exultatio tantum est necessaria. Brevius autem est officium in Neophitorum commodum, ut etiam *Neophitorum officium* nuncupatum fuerit.

Hisce haud obstantibus, pars extat in sacra Liturgia, in qua *Alleluia*, sive hac in hebdomada, sive in reliquo pascha-

(4) **S. August.** *Sermones de Scriptura, Sermo 37 in cap. IV Proverb.* (alias Sermo 45 de diversis).

lis temporis, peculiarem indolem induit, tam loco quem tenet, quam melodica forma perpensis. In Missa, tempus quod *Epistolam* inter et *Evangelium* intercedit, ordinario *Graduali* impletur : diebus vero moestitiae ac poenitentiae, *tractu*. Hic uti symbolum habetur tristitiae. Si etymologiam inspicias a *trahere* derivat, et musicam significationem induit ; quod non quidem a re canenda, sed a modo hanc Liturgiae canendi partem, originem ducit. Antiquitus unus tantum ex cantoribus illum modulabatur, et lenta prolixaque ratione, quin chorus, versus alternans abrumperet. « Saeculo decimo, *ait Krazer*, complures persuasere sibi, quod tractim canere nihil aliud significaret, quam cunctanter, lento et tristi modo canere ». Innuit proinde mutationem circa antiquam illius canendi modum peractam : « hinc iusserunt, ut non amplius unus, sed plures et quidem bini tractum alternis canerent vicibus, ea tantum servata lege, ne chorus eos interrumperet (1) ».

Graduale e contra citius est, quamvis ratione significationis cantus haud gaudii plenitudine gaudet. Peregrinationem fidelium significat laboris plenam caelestem patriam versus. Hinc quemadmodum, incipiente paschali tempore, tractus cantus finem habet, ita, a paschali hebdomada exceptione facta, toto tempore paschali et ipse abrumpitur, eiusque locum *Alleluia* tenet. Exultat enim tunc spiritus, et in exuberantia gaudii paschalis illum diceres oblitum propemodum fuisse terram, suaeque peregrinationis labores. Nihilo tamen minus excipitur, ut nuper diximus, paschalis hebdomada, cuius officia, uti animadvertimus, praecipue Neophitos spectant : « *propter Neophitos* ». Continuo n mque per hanc hebdomadam ipsi edocebantur adhuc circa fidei mysteria vitaeque christianae consuetudines, hinc et albam retinebant vestem, innocentiae symbolum et sanctimoniae, quam in baptismo acceperant. Sabbato tantum, Dominicam *Quasi modo* praecedenti, candida

(1) Sect. IV, art. 1, cap. IV, § 234.

indumenta exuebant (alicubi in eadem Dominica), Ecclesiaeque corpori plane adiungebantur. Inde praefatae hebdomadae decursu gradualis retinendi ratio. « Graduale, *scriptum reliquit Rupertus Tuitiensis,* quod est cantus laborantium in hac peregrinatione, iam dictum est ad hos dies Resurrectionis usque in Pentecosten non pertinere, sed propter baptizatos per hanc hebdomadam in officiis additum esse (1)) ». Sicut insuper quae circa Neophitos agenda erant, nondum absoluta fuerant quod attinet officium eos principalius spectans, Gradualis usum adhuc servare apprime congruebat. Nam « Graduale, scribit praelaudatus Rupertus, significat non iam requiem remuneratorum, sed laborem operantium » (2). At tempore paschali, quod sequitur, Graduali *Alleluia* omnino sufficitur. Denique extra tempus paschale, extra tamen et tempus luctus ac poenitentiae, cum nempe Tractus non sumit Gradualis locum, eiusdem Gradualis partem *Alleluia* efformat. Inde inter *Alleluia* canticum maius et minus discrimen, quod infra videbimus ex quo constituatur. Hoc nihilominus loco Liturgiae, peculiari indole praeditae *Alleluia* conspicitur, quae ex melodiae forma, omnino propria, quam induit, satis ostenditur. Iam ante IX saeculum mos invaluerat ultimam literam *Alleluia* (a) producendi, et huiusmodi productio *iubilus* nuncupata fuit, *neuma* vel *pneuma*. « Canitur, *Rupertus Tuitiensis* ait, *Alleluia* post Graduale, canticum laetitiae post luctum poenitentiae; et summopere nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quae reposita est illis, qui nunc lugent, iubilamus magis, quam canimus, unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas vel neumarum distinctione protrahimus, ut iucundo audito mens attonita repleatur, et rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria et laetabuntur in cubilibus suis (3) ». Durandus autem pluries citatus scribit: « Est

(1) De div. Offic. Lib. VIII, Cap. 1.

(2) Ibid. Lib. I, cap. 24.

(3) Ibid. Lib. II, Cap. 35.

etiam *Alleluia* modicum in sermone, et multum in pneuma, quia gaudium illud maius est, quam possit explicari sermone. Pneuma enim seu iubilus, qui fit in fine, exprimit gaudium et morem credentium, et quanta laetitia et laus sequuta sit per praedicationem et fidem auditam, iuxta illud : *Audivit et laetata est Sion etc.* et in canticis : *Exultabimus et laetabimur in te* (4) ». Appendix vero ad Hngonis a S. Victore Opera haec ad rem habet : « Pneumata, quae fiunt in *Alleluia*, iubilum significant, qui fit cum mens aliquando sic in Deum afficitur, et dulcedine quadam ineffabili liquescit, ut quod sentit plene effari non possit. Beatus populus, qui scit iubilationem, id est qui saepe experitur et praegustat hanc dulcedinem, et sic interim movetur, ut quod praesentit, nec dicere sufficiat, nec possit tacere (5) ».

Istiusmodi *iubilus* aut *neuma*, undecimo abhinc saeculo *Sequentia* quoque dictus fuit. Hoc appellativum nomen videtur duxisse ortum ab eventu, ex quo ne sub multiplicibus symplegmatibus melodicis neumae litera **a** iteraretur, coeperunt scribere , *et Sequentia :* eadem ferme ratione, qua nos scribimus, *et cetera*. Sed opus evasit arduum satis cantoribus notas illas adamussim exequendi, eoque difficilius, quo omnibus una simul concinendum fuisset. Hinc illas determinandi causa *(iubilos verbis ligare)* faciliusque exequendi, respondentia verba addita fuere, quae successu temporis et ipsa *Sequentia* dicta sunt. Haec autem primo absque ullo rythmo , ut *prosae* appellatae sint, postea a duodecimo et deinceps saeculo ad metricam mensuram perductae fuerunt. Cumque dictae prosae nonnisi ampliores essent *Alleluia* expositiones, proprium invenere locum in Missa, praecipueque in festivis ;

(4) Ration. divin. officior. Lib. IV, Cap. 20, n. 6.

(5) Robert. Paulul. De offic. eccl. Lib. II, Cap. 19, Append. ad Opera Hug. de S. Victore. Ad rem videre est etiam S. Augustinum, Enarr. in psalm. 99, n. 4.

quinimo laudis semper praeseferunt speciem, ut ordinario ab invitandis audientibus ad laudem incipiant. Sit exemplum sequentis prosae (saec. X) pro Missa Nativitatis Domini ad mediam noctem : Nato canant omnia — Domino pia agmina — Sillabatim nomina — Perstringendo organica : vel alterius, quae Notkeri est pro Missa Aurorae in eodem festo : Eia recolamus — Laudibus piis digna — Huius diei carmina etc. vel sequentis pro Missa diei (saec. XI) : Christi hodierna — Pangimini omnes una — Coelica resonent clare — Camoenas agmina etc. Ita, ex. gr. alia est pro Epiphania (saec. X) : Epiphaniam Domini — Canamus gloriosam etc. alia pro Ascensione Domini : Summi triumphum regis — Prosequamur laude etc.

Ingens fuit antiquitus prosarum numerus, successu tamen temporum imminutus. Quamplurimae extiterunt in Gallia et Germania (1), perpaucae in Italia ac Romae praecipue (2); atque ita explicationem invenit parvus earum numerus, quas Missale S. Pii V servavit, quinque videlicet : *Victimae paschali — Veni Sancte Spiritus — Lauda Sion — Stabat mater — et Dies irae*. Kerein (3) ingentem satis numerum earum collegit, hoc est, 895 ; ac fere omnes ignoti sunt auctoris (4).

Sequentia *Victimae paschali* solemnitatis Resurrectionis Domini proprie est : quam divo Petro Damiano quidam attribuunt, dum alii testimonio freti manu exarati codicis sae-

(1) Thalhofer narrat, in Missali Ausburgensi (an. 1552) prosas nonaginta et octo se reperisse : in Coloniensi (an. 1487) septuaginta tres, in altero pariter Coloniensi (an. 1756), quo adhuc nonnullae Archidioecesis Ecclesiae utuntur, quinquaginta circiter.

(2) V. Liturgia Rom. Pontificis, pag. CCXXX, et seq.

(3) Lateinische Sequenzen des Mittelalters : Moguntiae, 1873.

(4) V. Thalhofer, Handbuch . . . 1.ste Abtheil., 2 Band, § 19, *Die Sequenzen*.

culi XI, *Nostrae Dominae Eremitarum* dicti, tribuunt Wiponi Burgundiae, Corradi II Regiae Sacellano.

« Exquisitae suavitatis est canticum, scribit *Gihr*, **dulce canticum dramatis**, dialogus Salvatoris resurrectionem gloria afficiens. Imprimis christiades invitat, ut Iesu Christo, omnium vere paschali agno, gratiarum actionis laudisque sacrificium offerant. Quare? Iesus Christus ut oves suas redimeret immolatus est : Pastor bonus innocens pro grege suo obiit, ut sontes reconciliaret Patri. Mors et vita mirum in certamen descendunt, vitae Princeps moritur, et in gloriae imperitura vita regio iure imperat. Maria Magdalena uti oculatus resurrectionis advocatur testis : *Dic nobis, Maria, quid vidisti in via ?* Suo illa responso Salvatoris resurrectionem affirmat et probat : *Sepulcrum Christi viventis et gloriam vidi resurgentis.* Angelos se vidisse testatur, sudarium Christique vestes. Ac veluti triumphum agens clamat : *Surrexit Christus spes mea ;* annuntiatque Apostolis, illum in Galilaeam eos praegressurum. Qua posita apprime edocti depositione testis, fideles una simul exultantem emittunt professionem fidei; *Scimus Christum surrexisse a mortuis vere.* Tantus absolvitur cantus ferventiori prece in gloriae principem, qui mortis vincula dissolvit, caelumque reseravit, ut misereatur nostri (1).

Haec sint satis, ut *Alleluia* percipiatur significatio, gravitas et evolutio in sacra Liturgia. Superest, ut videamus, prouti iam innuimus, inter maius et minus *Alleluia* discrimen.

(*Continuab.*)

IGNATIUS SALVATORI

(1) Das heilige Messopfer dogmatisch, liturgisch und ascetisch erklärt. V. et praeclar. Comment. Thalhofer loc. cit.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Iunio 1900 (1).

PROPOSITIO.

Vesperae in Sabbato ante Dominicam Passionis, cum in eo actum fuerit Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. M. V. esse ne debent de praecedenti usque ad Capitulum, an potius de eodem Sabbato ?

SOLUTIO.

Aliquid praemittere iudicamus circa leges, quibus tum ante Decretum 5 Iulii 1883, tum postea, huiusmodi officia diriguntur. Et ad leges antiquas quod spectat (ante decretum, nempe 5 Iulii 1883) ita constituuntur ex pluribus S. R. C. decretis: Officia votiva sive duplicis sive semiduplicis ritus sint, non possunt recitari sequentibus diebus: 1°) diebus cunctis quibus Officium duplex vel semiduplex recitandum est: (*Decr. G.le 20 Martii 1706 n. 2166*). 2°) in feriis Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum et Vigiliarum, sive cum ieiunio, sive absque ieiunio, feria II Rogationum et feria illa in qua reponendum est, secundum Rubricas, Officium Dominicae (*Decr. cit.*).

Istae fuere leges datae pro recitatione officiorum votivorum ante decretum 5 Iulii 1883. Nunc autem in praesenti standum est huic ultimo decreto, quod in summa refert Rubrica ante officia haec votiva posita, ac proin videndum est quales sint leges quae in eo continentur. Secundum ea quae in decreto hoc num. 3581 habentur, ita possumus in compendium leges sub oculis lectorum ponere. 1°) Officia votiva praesenti decreto tradita, sunt

(1) Praepositae quaestionis solutionem tres ex consociatis nostris ad nos dederunt, nempe Aloisius Capotosti Almi Capranicensis Collegii Alumni, Anastasius Fourneret et I. Borghols. Primus et alter eamdem sententiam tenent; tertius vero contrariam, quae tamen aliis probationibus indigebat, ut saltem probabilis dici posset. Primam selegimus.

sex, videlicet: de Ss. Angelis, de Ss. Apostolis, (Romae autem de Ss. Petro et Paulo) de S. Ioseph, de SS. Eucharistiae Sacramento, de Passione D. N. I. C. et de Immaculata Conceptione B. M. V. — 2°) Officia haec omnia sub ritu semiduplici recitari debent. — 3°) Loco officiorum ferialium recitantur toto anni tempore, exceptis feria IV Cinerum, toto Passionis tempore, et a die 17 ad 24 Decembris inclusive. — 3°) Admittunt commemorationes feriae et Simplicis occurrentis, et IX lectionem alterutrius, si habeatur, sicuti commemorationes communes, illa excepta, de qua fit officium. — 4°) In concursu ad normam Rubricarum ordinantur. — 5°) Illi qui nullo canonico titulo ad Chorum tenentur, libertate gaudent recitandi, vel non, officia ista votiva (Decr. S. R. C. 10 Nov. 1883, n. 3596 — 6°) Statuta, de consensu Capituli seu Communitatis ab Ordinario adprobato, recitatione Officii Votivi, non licet quandocumque ab ea recitatione recedere. (Decr. cit.) — 7°) Tandem officia ista votiva non ita acceptari possunt, ut quibusdam anni diebus de Feria, aliis vero de Votivis Officiis in chorali recitatione agi valeat (Decr. cit.).

His praemissis quae ad eruditionem et etiam ad solutionem quaestionis valde utilia sunt, accedendum est ad ipsam quaestionem pertractandam et resolvendam.

Prima fronte quaestio proposita videretur inutilis, utpote claram habens resolutionem; at non ita est, si quis rem bene consideret. Etenim, uti vidimus, decreto generali 5 Iulii 1883, prohibetur officia votiva recitari *toto tempore Passionis:* atqui tempus Passionis precise incipit a Vesperis Sabbati ante Dominicam Passionis. Ergo videretur officium votivum dici posse usque ad Nonam inclusive tantum et non ultra. — Difficultas igitur est, et negari non potest eam esse non parvi ponderis, uti statim videbimus.

Sed contra consequentiam istius sillogismi est imprimis auctoritas Calendarii Cleri Romani in quo *quotannis* et **nullo reclamante**, die Sabbati ante Dominicam Passionis notantur Vesperae usque ad Capitulum de praecedenti, idest de Immaculata Conceptione Deiparae. Ergo dicendum esset *saltem* id fieri posse, non obstante ratione superius in contrarium allata.

Nostra proinde quaestionis solutio est haec quae sequitur:

« *Vesperae, de quibus in casu,* **debent esse** *de Immaculata Conceptione usque ad Capitulum* ». Et assertio probatur primo ex ratione liturgica. *a*) Quando lex prohibet officia votiva in feriis Passionis (*V. Rubr. spec. positam ante Off. votiva*), haud certe comprehendit ferias, neque per consequens Sabbatum hebdomadae praecedentis Dominicam Passionis. Ergo in eo Sabbato, fieri potest officium votivum de Imm. Concept. Deiparae. Atqui officium incoeptum, etsi ritus semiduplicis, **semper** absolvendum in concursu est, nisi ritus Officii sequentis id impediat, cum utrasque Vesperas habeat. Constat abunde ex octavis in Dominicis Quadragesimae prohibitis, et quae nihilominus in Sabbato ad Vesperas Dominicae fieri debent, non solum per psalmos usque ad Capitulum, sed etiam per commemorationem post Orationem Dominicae (*Conf. Decr. Einsidlen. Alia Dub. 23 Iun. 1436 ad 4 et 5*). Ergo etiam Officium votivum Imm. Conceptionis in Sabbato recitatum absolvi debet per suos psalmos usque ad Capitulum Dominicae, et per commemorationem post illius Orationem.

b) Quamvis Officium Dominicae incipiat a Vesperis in Sabbato praecedenti (*Tit. 4 Rubr. Gen. n. 8*); nihilominus Dominica stricte loquendo psalmos pro primis Vesperis non habet. Hinc eos a Sabbato mutuatur, suosque eos quodammodo facit tunc solum, quando de alio quocumque novem lectionum Officio non sit agendum. Ita, quod aliunde certum est, apprime notat cl. Van der Stappen: « Incipit (*Officium Dominicae*) a primis Vesperis Sabbato, in quibus **si non praecedit aliquod officium duplex vel semiduplex,** psalmi dicuntur ii qui describuntur in psalterio (*Tract. de Off. div. Q. 126*). » Atqui in casu praecedit officium semiduplex votivum, quod novem lectionum est; ergo Officium votivum suas secundas Vesperas habebit usque ad Capitulum Dominicae, et per consequens etiam post Orationem Dominicae suam commemorationem : ut Dominica psalmos a Sabbato mutuari non debeat.

c) Prohibitio Officiorum votivorum per totum tempus determinatum a lege incipit a Dominica Passionis. At hoc solummodo significat, sicuti ferias sequentes, ita a fortiori ipsam Dominicam ex lege fuisse privilegiatam. Verumtamen privilegium a Dominica incipere, hoc tantum significare potest, eamdem

Dominicam relinquendam esse velut intangibilem : quod cetera ex generali lege constat, Dominica enim quaecumque etiam quodcumque Officium votivum ex necessitate excludit. Atqui Dominica quod suum attinet Officium ad Vesperas, nunquam privilegiata consideratur, sed tantum quod attinet Matutinum et Laudes. Hoc patet ex eo quod Vesperae, tam primae quam secundae, cuiuscumque Dominicae concursum admittant cum quovis alio Officio, etiam semiduplicis ritus: adeo ut primae Vesperae semper a Capitulo incipiant vel tantum commemorentur, secundae vel integrae sint, vel dividantur, vel sola commemoratione gaudeant *(V. Rubr. de Concurr. n. 4, 5, 6)*. Ergo ex eo quod Officiorum votivorum prohibitio a Dominica Passionis incipiat, non sequitur omittendas esse Vesperas, imo neque commemorationem, Officii votivi, de quo actum est in praecedenti Sabbato, ut psalmi de Sabbato sumantur.

Secundo probatur ex ipsa lege. Ante Decretum Generale diei 5 Iulii 1883 Officia Votiva prohibita erant *toto tempore Adventus*, ac proin quaestio quae nunc agitari potest circa Vesperas Sabbati ante Dominicam Passionis, eadem est ac ea quae agitari poterat (et revera fuit) prius, circa Vesperas Sabbati ante Dominicam primam Adventus. Atqui quaestio illa a S. R. C. resoluta fuit eodem modo, quo nos praesentem quaestionem resolvimus. Ergo, ob paritatem casus, dicendum est etiam nostram quaestionem ita et non aliter resolvi debere.

Maior sillogismi nostri non indiget probatione : consequens, ni fallimur, est rectum: ergo solummodo probanda est propositio minor.

Anno 1857, R.mus Canonicus Decanus Ecclesiae Cathedralis Molinen., de consensu R.mi illius Dioecesis Episcopi, S. R. Congregationi plura dubia proposuit resolvenda, inter quae XIII dubium ita legitur: « Utrum concurrentibus secundis Vesperis Officii Votivi Immaculatae Conceptionis cum Vesperis Dominicae primae Adventus, fieri debeat usque ad Capitulum de Officio Votivo, et a Capitulo de Dominica cum commemoratione Immaculatae Conceptionis, *an cum de huiusmodi Officio Votivo non fiat in Adventu*, Vesperae debeant esse integrae de Sabbato, et absque Commemoratione? » Et S. R. C. decreto dato sub die

12 Septembris 1857 in una Molinen. n. **3059** (5251) ita propositum dubium resolvit: « Ad XIII. Affirmative, ad prima partem; Negative, ad secundam ».

Ergo ex praesenti decreto patet quod Vesperae, de quibus in nostro casu, ob paritatem, fieri *debent* usque ad Capitulum de Officio Votivo Immaculatae Conceptionis.

Quaenam autem huius Decreti ratio multiplex, nisi illa, quam superius vidimus, dum adduximus argumenta, quae thesi quam defendimus, favebant?

Ergo a primo ad ultimum probata manet assertio nostra, secundum quam Vesperae Sabbati ante Dominicam Passionis debent esse de Immaculata Conceptione B. M. V. usque ad Capitulum. Neque dicas, quaeso, Decretum 12 Sept. 1857 esse Decretum aliquod particulare ac proin non statuere legem generalem; nam statim respondeo concedendo antecedens et negando consequens; siquidem in dubio a nobis relato non agitur de responsione aliqua ad casum particularem, sed *declaratur et aliquo modo ampliatur lex*, ac proinde decretum illud *quoad relatam responsionem* certe vim habet decreti generalis.

Aloisius Capotosti
Almi Collegii Capranicensis alumn.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE AUGUSTO 1900.

Missa de requie, in Oratorio privato domus, in qua aliquis decessit, potest ne quotidie fieri usque dum cadaver in Ecclesiam deferatur?

APPENDIX

E. S. R. UNIV. INQUISITIONE.

Beatissime Pater.

Bertha catholica Archidioeceseos M. soluta, cum Titio acatholico pariter soluto, ex quinque circiter annis in concubinatu fide praestita et cum affectu maritali vivens, novissime, nempe die mensis septembris anni 1898, cum eo matrimonium, quod vocant civile, coram magistratu civili iniit. Ex ista coniunctione duae proles exortae sunt, quarum altera die 29 m. septembris 1894 nata catholice et baptizata est et educata, altera, die 29 m. martii 1896 nata, paucis septimanis post nativitatem decessit.

Parocho dictae Berthae vehementer allaborante ut ad validum et licitum matrimonium adducatur, tandem res in eo est ut dispensationi super religionis mixtae impedimentum, praemissis debitis cautionibus, iam locus per se esse posset, nisi impedimentum perpetuae impotentiae intercessisset, ex eo proveniens, quod dictus Titius mense iunio 1896 (i. e. duobus annis ante celebrationem matrimonii civilis) operatione chirurgica utroque teste privatus existit. Restare solum videtur, ut ad dispensationem in radice coniunctionis petendam confugiatur. Revera intentio, seu consensus matrimonialis non defuit, nec saltem post contractum civile matrimonium extrinseca species matrimonii deest, adeo ut dictae partes pro coniugibus communiter habeantur. Cum per sanationem saluti animae resipiscentis et legitimitati prolis superstitis provideatur, denegata vero sanatione separatio minime fieri posset et gravissima scandala pertimescenda forent, ideo preces mulieris catholicae pro obtinenda gratia enixe commendamus.

Feria V, Loco IV, 8 Martii 1900.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus

Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus rite diligenterque perpensis, iidem E.mi ac R.mi Patres respondendum mandarunt:

In casu exposito sanationem in radice concedi non posse; et ad mentem. Mens est quod cum matrimonium revalidari nequeat, putati coniuges illico separari deberent. Si vero hoc moraliter impossibile sit, saltem adhibitis cautelis sub eodem tecto cohabitent uti frater et soror. Quod vero ad canonicam prolis legitimationem, eam per rescriptum Principis rite expediendum concedi posse.

Sequenti vero feria VI, die 9 eiusdem mensis et anni, per facultates E.mo ac R.mo D.no Cardinali S. Officii Secretario concessas, SS.mus D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII resolutionem E.morum ac R.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

E SACRA POENITENTIARIA.

I.

In Litteris Apostolicis *Quoniam divinae* num. IV legitur: « Asolvere item possint (Poenitentiarii minores) a supra dictis « censuris et peccatis, pro quibus facultas concessa est § III, « poenitentes, quamvis censurae quibus adstricti sunt, publicae « sint, in locis unde venerunt, et quamvis deductae aut nomi- « natim declaratae ac denunciatae in iisdem locis sint per Or- « dinarios, aut alios quoscumque Iudices: praemonitis tamen « poenitentibus de libello, ut infra in his casibus publicis Poe- « nitentiariae Apostolicae omnino submittendo. Post absolutionem « nimirum conficiant libellum supplicem, expresso nomine, co- « gnomine, ac Dioecesi poenitentis, et casu huiusmodi censurae « publicae subiecto, et subtus scribant testimonium absolutionis « ab eadem censura concessae, eumdemque poenitentem dirigant « ad Officium Poenitentiariae Apostolicae, ut recipere possit Breve « in forma *missi*, vel *remissi* absoluti, iuxta praxim eiusdem « Officii Poenitentiariae.

« Haereticos vero, qui fuerint publice dogmatizantes, non « absolvant, nisi, abiurata haeresi, scandalum, ut par est, re- « paraverint.

« Eos quoque, qui sectis vetitis massonicis aut aliis eiusdem « generis nomen dederint, si occulti sint, absolvere possint, « iniunctis de iure iniungendis: si vero occulti non sint, absolvere « quidem eodem pacto possint, dummodo tamen iidem scandalum « reparaverint ».

Quaer. I. Circa verba *in locis unde venerunt*: His verbis exclusi ne intelligi possint qui Romae degunt, cum de his non videantur stricto sensu verificari verba *in locis unde venerunt*: an etiam cum his eadem ac cum illis regula servanda sit?

II. Circa verba *de libello, ut infra, in casibus publicis:* Libellus, de quo agitur, confici ne debet indiscriminatim de omnibus censuris, dummodo sint publicae, quamvis non sint deductae, aut nominatim declaratae ac denunciatae: an tantum de publicis quae sint insimul deductae aut nominatim declaratae ac denunciatae?

III. Circa verba *abiurata haeresi*: Haec abiuratio debet ne esse *absolute* publica ac in forma solemni ab Ecclesia praescripta, an sufficere possit ut fiat coram Confessario vel quomodo?

IV. Circa verba *scandalum, ut par est, reparaverint:* Scandali reparatio, debetne absolute praecedere absolutionem; an si hic et nunc fieri nequeat, sufficiat ut huiusmodi poenitentes serio promittant se scandalum reparaturos, praesertim si de longinquo venerint?

Sacra Poenitentiaria, sedulo examinatis expositis, adprobante SS.mo D.no Div. Prov. Pp. Leone XIII, respondet ut sequitur:

Ad I. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Ad III. *Reparatio scandali publici debet esse publica: abiuratio potest esse secreta apud ipsum confessarium.*

Ad IV. *Si serio promittant, affirmative.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 20 Februarii 1900.

II.

In *Monitis excerptis ex Constit. Benedicti XIV* ad num. XIV legitur: « Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum

« (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera « ad Iubilaeum lucrandum iniuncta expleverit, Confessionem « denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex illis « iniunctis operibus expleat, ut Indulgentiam Iubilaeo adnexam « consequatur ».

Quaeritur: An in hoc casu pro ultimo opere sufficiat Sacra Communio?

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, adprobante SS.mo D.no N.ro Leone Div. Prov. Pp. XIII, respondet:

Affirmative.

Datum Romae in S. Poenit. die 20 Februarii 1900.

III.

In Monitis, de quibus supra, num XIX legitur: « Qui semel « illarum gratiarum particeps factus est prima vice qua Iubilaeum « consecutus est, seu qua omnia praescripta opera implevit, « iterum earum particeps fieri non poterit, si post primam Iu- « bilaei acquisitionem iterum in censuras incurrerit, aut casus « reservatos commiserit, vel novis votorum dispensationibus « indigeat ».

Quaeritur: An inter gratias, quarum secunda vice particeps quis fieri non potest pro acquisitione Iubilaei, recenseri debeat etiam commutatio visitationum Basilicarum, ita ut qui prima vice iam fruitus est, secunda vice illius commutationis particeps fieri non possit?

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, adprobante SS.mo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII, respondet:

Affirmative.

Datum Romae in S. Poenit. die 20 Februarii 1900.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.